

Quo me actum vertisse isthæc tua carmina, Musa
 Testis erit; lateri si tamen illa meo
 Adstitit, ac non me longe averſata refugit
 Conantem illepidis perdere verſiculis
 Tam bona ſenſa; tibi adſpirans quæ ſcilicet ipſa
 Dictarat Pindi vertice in aerio
 Ingenuos propter fontes, genus unde leporum
 Omne fluit. Quos mi tangere ſi ſuperi
 Dent fontes, fruſtra quæſitos tempore longo,
 Non parvam e libro divite particulam,
 Sed totum adgrediar verſu vulgare Latino;
 Ut quæ Arnus ſcit nunc, & Padus, & Tyberis,
 Italiæ fines intra non digna latere,
 Iſterque, & Rhenus jam ſciat, & Tameſis.

E L E G I A X I I.

AD JOANNEM BAPTISTAM ROBERTUM

E SOCIETATE JESU.

HOc fuit a magno quod mi, Roberte, Zannotto
 Aureolum nuper venit epistolium,
 Quo grates agit ingentes de re hercle puſilla,
 Seque meo captum prodit ab officio,
 Carmine quod Tuſco quæ luſerat ipſe, Latinis
 Verti ego per ludum paucula verſiculis.
 Nempe virum ambierat veſtræ ſuada iſta Camœnæ
 Vaſtra ſubire animos carmine blandiloquo,
 Et mulcere imos ſenſus, & fallere mentes,
 Quam vult rem pingens ut lubet, atque humiles
 Attollens cœli ſuper aurea ſidera nugas.
 Jupiter! ut ſcite verſibus illa meis

Conciliat